

39. Non ergò ex Incarnationis demùm beneficio λόγος accepit, ut peculiaris sit ὑπόστασις sive persona: Verùm jam inde ab omni eternitate suam ὑπερξίν, eamq̄, ἀνδυπόστατον καὶ ἰδιοσύστατον, longeq̄, perfectissimam obtinuit: adeò ut post ipsam quoque Incarnationem ὑπόστασις hæc ὑποστατική, sive personalis subsistentia, non humanitatis assumpta, aut tertij alicuius ὑφισταμένου: Sed duntaxat τὸ λόγος sit maneatq̄, in æternum propria

40. Ceterùm quo ad Humanã Christi naturã eam nequaquã vel cum Marcione & Manichæis Φάντασμα, aut spectrum quoddam fuisse: vel cum Valentinianis & quibusdam nostri temporis Anabaptistis, cœlitus eam delatam, nostraq̄, ἐτερόσιον; vel cum Arianis πάντα ἀψυχον simpliciter animã destitutam: vel cum Apollinarianis vegetativã duntaxat & sensitivã animã preeditam: rationalis verò expertem, ac si hujus vices λόγος expleret: vel κατὰ δόκησιν duntaxat ἢ Φαντασίαν morti ac infirmitatibus reliquis subiectam: Vel denique cum Apelle post unionem, aut certè post exaltationem in quatuor Elementa dissolutam, aut in nihilum redactam fuisse statuimus.

41. Sed sacrarum literarum edocti magisterio, Orthodoxæ itẽ Antiquitatis secuti vestigia, verã eam & perfectam fuisse, hodieque esse naturam huma-